

Hausaufgabentext EX09 (Cicero)



de Mithridatis iniuriis

maiores nostri saepe pro mercatoribus aut naviculariis nostris iniuriosius tractatis bella gesserunt; vos tot milibus civium Romanorum uno nuntio atque uno tempore necatis quo tandem animo esse debetis? legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri totius Graeciae lumen exstinctum esse voluerunt; vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit? illi libertatem imminutam civium Romanorum non tulerunt; vos ereptam vitam neglegetis? ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt; vos legatum omni supplicio interfectum relinquetis? (...)

quid? quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur, quo id tandem animo ferre debetis? regno est expulsus Ariobarzanes rex, socius populi Romani atque amicus; imminent duo reges toti Asiae non solum vobis inimicissimi sed etiam vestris sociis atque amicis; civitates autem omnes cuncta Asia atque Graecia vestrum auxilium expectare propter periculi magnitudinem coguntur; imperatorem a vobis certum deprecari, cum praesertim vos alium miseritis, neque audent neque id se facere sine summo periculo posse arbitrantur.

161 Wörter